

L M. A. SABELLICI

rae Suetonium illustrarunt. Beroaldus in magna copia & ubertate commen-
tandi saepius dormitat, aut in minutis moratur: sicut & Sabellici paraphra-
sis non pauca habet, quae merito talibus viris ignoscimus: vehementerque inte-
rim eorum in re literaria instauranda studium commendamus.

1491

Nec multo post professor noster, laboribus nullis fractus, concinnavit
opusculum de officio praetoris, ad Antonium Cornelium, cui Philosopho
cognomen fuit, ob demandatum a Senatu munus tradendae logicae,
philosophiae, & theologiae: hic tum, anno scilicet M. CCCC. LXXXI.
Vicetinam praeturam gerebat. Hujus ad Cornelium epistolae exordium
fidem novam eorum facit, quae a me supra dicta sunt, nimirum ex Fo-
rojulio Sabellicum Venetas migrasse anno M. CCCC. LXXXIV. Praefac-
gium illud fuit, credo, vir clarissime, quod SEPTIMO AB HINC ANNO
ex veteri Carnorum ora VENETIAS APPULSUS librum de Praetoris of-
ficio, proxima apud me foetura natum, tibi in primis cognoscendum tradidi,
&c. Cornelium autem eo anno fuisse Vicetinorum Praetorem, his evin-
cam. Profitebatur ille Venetiis philosophiam, ut antea diximus, cum
anno M. CCCC. LXXX. est designatus Vicetiae Praetor. Huic Sena-
tus consulto (a) VI. idus junias ejusdem anni suffectus est Franciscus
Bragadenus per id totum tempus quo ipse Praetor esset. Insuper exstat
Vicetiae apud Decemviros (b) codex membranaceus, membranum vulgo
appellant. Eum in codicem relatae sunt multae ducales ad Cornelium
eumdem, tum Praetorem, literae, ut mihi significatur per Equitem
Michaelem-Angelum Georgium, Vicetinum, officiosissimum pariter at-
que eruditissimum virum. Harum primae inscriptus est dies XII. ante
kal. octobres anni M. CCCC. LXXX. & postremae dies III. ante
nonas februarias anni M. CCCC. LXXXI. qui caeteris est annus
M. CCCC. LXXXII. apud nos enim a kalendis martii tandem initium
anni est.

Anno M. CCCC. LXXXII. absolvit libros tres de Venetae urbis situ, in
quibus accurate urbem nostram, suas distributam in regiones, describit.
Mittit illos Hieronymo Donato, Equiti & Senatori ornatissimo, ac tum
oratori apud Alexandrum VI. quo in munere suffectus erat Hermolao
Barbaro, quem Aquileensem Patriarcham Innocentius VIII. crearat.
Ex hoc opere multa exscripsit Franciscus Sansovinus in suos duodecim
Venetiarum libros, vix ipsorum aliquando facta mentione.

Cum per idem tempus (c) Venetas adiisset Alphonsus Atestinus,
Herculis I. Ferrariae Ducus filius, & Baptistam Guarinum, majoris
Guarini Veronensis filium, secum adduxisset, hunc sibi conciliavit Sa-
bellicus, ipsumque deinde cum Benedicto Prunulo colloquentem indu-
xit in Dialogo de latinae linguae reparatione, ubi honorificentissimam eo-
rum mentionem facit, quorum opera decimoquinto saeculo latinarum
literarum studia pristino decori sunt restituta. Dialogus hic dicatus est
Marco-Antonio Mauroceno, Equiti amplissimo, quem etiam legationi-
bus multis cum laude functum, procuratoria purpura tandem patria de-
coravit. Omnia haec opuscula dedit auctor imprimenda Antonio More-
to, typographo industrio sibique amicissimo, per quem universa publico
donata sunt anno M. CCCC. LXXXIII. in 4.

Tum quoque Dialogum emisit de officio scribae, in quo loquens induci-
tur Joannes Calphurnius, Brixianus (Bergomatem alii eum putant)
poli-

(a) In Rego-
flo magistr.
Reform. p.
70.
(b) Vulgo la
camera de'
Deputati.

1492

I 493
(c) Petr.
Bemb. biss.
Ven. lib. I.
sub finem.